

Bibliothèque numérique

medic@

Dufresne, Claude - candidat /
Hodencq, Michel de - président. - An
Chymiae & Medecinae eadem
elementa ?

1695.

*Paris : Apud Franciscum
Muguet, Regis & Facultatis
Medicinae Typographum
Cote : ms 2324 n°47*



QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis
vigesima-octava Aprilis.*

M. MICHAËLE DE HODENCQ, Doctore
Medico, Præside.

An Chymia & Medicina eadem elementa?

I.

DE Corio humano parum sollicitus, quisquis rerum causas nihili pendens, aliorum sanitati invigilat. Ille omni ex parte absolutus tibi sit Medicus, qui cum vitæ integritate, ad quævis naturæ momenta diligentissime attendens, unumquodque ita conciliat, ut quem ipsi finem præscripsit ratio, extra hunc non egrediatur. Nec quia omnes convalescunt, idcirco nullam esse artem medicinam velim arbitreris, satis si futura præsentientem, eventus non fefellerit, non est in Medico semper relevetur ut æger, interdum doctâ plus valet arte malum. Apage istos ergo, qui cum nec ægri constitutionem, nec indolem morbi, nec pharmaci naturam, usquam affecuti sint, artem, occasione præcipiti, experimento periculoso, judicio difficili, longam, morborum curam insigni temeritate suscipiendo, brevem reddere, decumbentium fato, audenter tentant. Astne arenosis fundamentis vitam subvertas, quam tot firmis tuendam jussit Deus præsidiiis, viam quam in hoc tenere debeas quæris? animalium, vegetabilium, & mineralium, mechanicam, naturalem, & chymicam, analysim perscrutare, illa partes integrantes, hæc talia tibi exponent elementa, quæ cum in sensus cadant, mechanicam ratione, rationem mechanicâ ita metiuntur, ut quorumlibet essentiæ & proprietates, cuivis indaganti patere facile possint.

OMNI laude extollendus foret, & Epicurus, qui ex indivisibilibus, & diverſi mode figuratis in vacuo huc & illuc paſſim vagantibus, & Cartheſius, qui cogitando, immateriale, à materiali vindicans, ex hujus inſenſilis diſiſione, & in gyris motu ſubtile, rotundum, & irregulare, conſtituere elementa; ſi ut ingenioſè ſuppoſuerunt, ita manibus quaſi attrectanda dediſſent. per celebris hypotheſis, quæ tactus occaſione, calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, pro elementis deſignat, quæ quoniam in certis eminere dicit corporibus, eadem, ignem nempe, aërem, aquam, & terram, vel actu alterata, vel poteſtate mixtum componentia, tanquam præcipua Medicæ artis ſicut & phyſicæ afferret elementa, ſi calida frigidis, frigida calidis, humida ſiccis, ſicca humidis, cum in homine redundant, ex votis curaret. Neque enim tum intra, tum extra hominem, in iis quæ eduntur, bibuntur, & quo quomodo foris admoventur, calidum eſt quod magnam vim habet, ſed amarum, inſipidum, acerbum, auſterum, acidum, falſum dulce. Abſit igitur pro elemento ſimplici ſubſtituere calidum, quod modo contrarias in ſe qualitates habet, modo turbulentam in corpore excitat motionem, modo amarum &c. Chymicus & naturalis, dum ex rerum diſſolutione, colorem, odorem, ſaporem ſimul perpendunt, ut certiora, ſic ad artem Medicam convenientiora reſerant elementa.

III.

QUI Mercurium, ſulphur, & ſalem, ſeu in cruditate depreſſos, ſeu in maturitate evectos, ſeu in defectu avolantes, non ut partes mixti integrantes recenset, devius tibi habendus. Mercurius triplex, acidus, acer, & urens; acidus & acer ſal eſt acidus, vel alkali in phlegmate diſſolutus; urens eſt ſulphur, quod acidum eſt intricatum. Sal ſimplex & compoſitus; ſimplex acidus vel acer, ex quorum mixtione falſum, ex utroque compoſitum oritur, ejus naturam unde extractum eſt referens, ſeu ex mineralibus ſit, ſeu eſſentiale & lixivioſum plantarum, ſeu ut & animalium fixum & volatile. Salis quadruplex ſtatus, quietis fuſionis, volatiliſationis, & fluoris. Neoterici ergo audiendi, qui elementa in activa & paſſiva diſtribuentes; illa intus moventia acidum & alkali; hæc uteri vices gerentia, phlegma & caput mortuum nuncupant. Acidum, acutic qua pollet, alkali ſubiens,

3

fermentat, dissolvit, vel coagulat, acetosus sapor, odor pungens, colorem purpurascentem syrupo violaceo inducit. Alkali ratione inæqualitatis sordes tollit, quas ejus porositas absorbet; unde non mirum si coagulationem impediat; sapor acer, odor fœtidus, colore viridi syrupum violaceum tingit. Utrumque cum capite mortuo miscet, & in se invicem coïre facit, eorum vehiculum phlegma, quæ capitis mortui crassitie intricata retinentur & obrigescunt. Qua ratione igitur compactiora, & ad agendum ineptiora, diutius perstare vides, eadem, quæ minus intricata, & ad quemvis motum habiliora, citius interire concludas.

IV.

CHYMIÆ & Medicinæ eadem elementa, vel variæ evincunt humorum mutationes distributionesve. Exaltatus in ventriculo liquor subacer, orificium superius vellicando, animal adsumendum alimentum invitat; quod simul ac dentibus manditur, extenuatur, & molitur, salivæ commixtione, partim linguæ & musculorum circumstantium impulsu, partim proprio pondere, per œsophagum in ventriculum protruditur; quo cum & aëre simul deglutito, subacer liquor commixtus, ipsiusque ventriculi motu peristaltico adjutus, & partes alimenti evolutæ concurrentes, ita conteruntur, minuuntur, franguntur, ut cinereum induere cogantur colorem; unde per pylorum inspirationis tempore, musculorum & diaphragmatis impulsu, ut & sui ipsius peristaltico motu, identidem adactus ventriculus, in intestina Chylum sensim protrudit, succo pancreatico, & bile eadem mechanica appulsis bilis alkali volatili turgescens, & sub insipido pancreaticis succo dissoluta, ad initium duodeni chylum subiens, iterum sic effervescit, ut fœculentioribus partibus per crassa intestina præcipitatis, subtiliores dealbata, pervenas lacteas ad receptaculum impellantur, è quo per canalem thoracicum lymphæ commixtæ, in subclaviam cum sanguine transmittuntur, peculiari vel partium configuratione, vel fermento deinceps immutandæ sejungendæve, ita sanguis, sine cujus in cerebro defœcatione, actiones torperent, è corde fervidior, rubicundior è pulmone, ex involutis testium vasculis activior erumpens, lacte, lymphæ, sero &c. per mammas, glandulas, renes, &c. transcolatis, applicatis, resolutis; vietus redux, & in liene recreatus, bilem minis acrem reddendo, ejus in hepate secretionem accelerat.

TOT tantaque, seu in minerali, seu in vegetabili, seu in animali regno, elementa chymica detegunt miracula, ut vel ad occultas scholarum qualitates, vel ad Epicuri inane, vel ad primam carthesii materiam frustra recurras. Vis metallum à sordibus, & quiescentiis segregare, ad alkalia si confugas opportunam præstabunt opem. In pulverem reduc verbi gratia. Chalibemidque alkali commixtum in crucibulo funde, tunc alkali cum acido petere fundum, sicque purum metallum, & sulphure privatum videbis. In vegetabilium semine prævalens acidum, cum pusillo alkali quiescit, donec terræ mandatum, & humido solutum, in alkali incipiat agere, sicque acidum alkali assumendo, & alkali acidum vicissim sorbendo, non cessat fermentatio, usque dum radícula primo, dein penna expansæ, plantam effinxerint. Frustulum calculi ex animali extractum, vitreæ retortæ receptaculo coopertæ inclusum, & arenæ moderato igni commissum, primum sal urinæ nullius odoris, dein alkali fixius sublimatur; utrumque, vel aliud urinosum, si frustulo friabili relicto rursus affundas, ab acidi delitescens concursu, pristinam durtiem recuperat. Integra percurrere animalia, hic acidum, ibi alkali omnia adimplere miraberis; sed cave ne alterutrum extra determinatam agat partem, innumeram hinc morborum catervam oriri deprehendas.

Ergo Chymie & Medicinæ eadem elementa.

Domini Doctores disputaturi.

M. Ioannes Michaël Garbe.	M. Guido Erasmus Emmerex,	M. Claudius Quartier.
	Scholarum Professor.	
M. Bartinus Simon Dieuxiroye.	M. Michaël de Hodencq,	M. Michaël de la Vigne.
	Præses.	
M. Ioannes Boudin.	M. Pontius Morin.	M. Petrus Perreault.

Proponebat Parisiis CLAUDIUS DUFRESNE, Parisinus,
Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.